



**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsqve Ad
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve
Perinde Vtilis**

Servius, Philippe

Leodii, 1648

§. Tertivs. Quid agendum præsente Venerabili Eucharistia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)

50 AMICI FIDELIS
feliciter decurrere sine te, qui es via,
veritas & vita?

Mat. 8 Domine non sum dignus, vt intres sub-
iectum meum, peccatorum sordibus cō-
taminatum; at, quis potest facere mun-

Iob. 14 dum de immundo conceptum semine, nonn-
tu qui solus es?

Mat. 8 Domine si vis, potes me mundare. Tamen
Luc. 7. tūm dic verbo, & sanabitur anima mea.

§. TERTIVS.

Quid agendum præsente Vene-
rabi Eucharistia?

Bi allata fuerit Venerabilis Eu-
charistia, si infirmitas valetudi-
nis vlo modo permiserit, assurget il-
licò, & in genua prouolutus, illam,
quàm poterit humillimè adorabit.

Quod si morbi grauitas nullo mo-
do patiatur vt æger surgat è lectulo,
assurgat saltem si possit, inclinatisq-
ceruicibus Deum suum præsentem ve-
neretur.

Sæpè visus est Dominus Deus, mo-
rituris vires addere, vt in illo supremi
temporis articulo, suum in illum a-
morem

morem religionemq; palam facerent.
Id apertè testatus est S. Guihelmus
Archiepiscopus Bituricensis, qui, licet
animam agere videretur, simul atque
Deum Creatorem suum ad se adire
cognouit, nō sine circumstantium ad-
miratione, perinde quasi febris ac
morbus iam omnis remisisset, de stra-
to prosiliens, concito gradu Seruatori
suo processit obuiam, illumque flexis
reuerenter humi genibus, totusque la-
crimis diffluens, quantâ potuit animi
corporisque demissione veneratus est;
instantemque illi agonem suum com-
mendauit.

Non absimilis D. Hieronymi, in
Deum suum ad se adeuntem pietas &
religio. Incredibile memoratu, quan-
tis & ipse lacrymis suspirijsque ad Dei
sui præsentis copiam anhelaret. De
grabatulo suo & ipse festinus in ter-
ram desiliit, ibique sine molli culci-
tra, sine stragulis collocatus, cilicio suo
dumtaxat operiri voluit; tum pro-
cumbens in genua, diras illas pecto-
ris tensiones crebiò repetens, iugila-
chrymarum imbre madidus, cœlestē

52 AMICI FIDELIS
viaticum accepit, Christumque sibi
peregrinationis suæ comitem adiun-
xit, dicens: *Cur nunc tantum te humili-
lias, ut patiaris ad hominem descendere Pu-
blicanum & peccatorem; & non solum cum
ille manducare vis, sed te ipsum manducan-
ab illo iubes.* Videbant nempe, Sancti
illi, quas nos non videmus, abditas in
Venerabili hoc Sacramento, oppor-
tunitates.

Euseb.

Afferri poterunt etiā exempla San-
ctorum, qui audīe muniri hoc viatico
expetierunt.

Agmen ducat Regina Sanctorum
omnium, quæ hinc ad cælum emigrā-
re noluit, nisi cælesti hoc viatico pro-
bè instructa; cuius votis filius eius, Sa-
cerdos & hostia, subscribendum exi-
stimauit.

Neque Sancta Maria Magdalena,
admonita ut Cælum peteret, itine-
risque duces Angelos sequeretur, iter
illud ante ingredi noluit, quām Do-
minum Angelorum comitem haberet:
quare S. Maximinum Massiliensium
Episcopum accersendum curauit, ut
ab eo sacra synaxi impertiretur.

Aiunt

Aiunt Apostolorum Principes Petrum & Paulum, sacrum hoc viaticum ad Diuum Ioannem Chrysostomum attulisse.

Quid dicam de nobili illo Mediolanensium Præside Ambrosio? qui cùm diuinissimum hunc panem desideraret audissimè, neque desiderium præ morbi magnitudine aperire posset, ecce tibi Honoratus Vercellensis Episcopus, nocte concubia diuinitùs admonetur, ut eius æstuantissimo desiderio, allatâ Venerabili Eucharistiâ, faceret satis.

Non absimilem gratiam à D. Barbara, quam sibi tutelarem delegerat, obtinuit B. Stanislaus à Kostka Societatis IESV.

Taceo de alijs, quibus omnibus percensendis, Annales bene multi, vix sufficient.